



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 2. Proponuntur tenenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

item, suppositio etiam objectiva futuritionis, secundum jam dicta, præ ipsa scientia noscente illam futuritionem. Rursum, si scientia conditionata non causat illam infallibilitatem intrinsecè, & si illam continet in se intrinsecè ipsa futuritio conditionata, hoc ipso, illa infallibilitas per prius habetur ab ipsamet futuritione. Deniq; si concedat arguens infallibilitatem intrinsecam haberi ab ipsamet futuritione, si concedat infallibilitatem extrinsecam, quæ habetur à scientia conditionata divina, hoc sensu esse summa, quia proveniens extrinsecè ab actu divino, de hoc non erit difficultas, nam dici potest, Petrum esse hominem, idque infallibiliter infallibilitate summâ, hoc est divinâ, haberi à scientia Dei noscente Petrum, esse hominem. Auctoritates in oppositum non probant primam infallibilitatem futuritionis conditionatæ haberi à scientia divina.

INSTAT Idem. Dicitq; se non negare, quòd in effectu conditionatè futuro, habeatur etiam infallibilitas ex parte causæ, orta ex suppositione ipsiusmet effectus futuri, nec dicit se contendere, quasi infallibilitas orta ex suppositione effectus sit minor infallibilitate orta ex præsuppositione scientiæ; utriusq; enim oppositum implicat contradictionem, nec contendit infallibilitatem ex suppositione scientiæ esse priorem infallibilitate ex suppositione effectus: Potest enim utraque poni in eodem signo; contendit tamen inter illas infallibilitates esse notabilem differentiam: quia infallibilitas ex suppositione præscientiæ oritur ex aliquo distincto à futuro conditionato simpliciter, & idèò purificatâ conditione transire potest in futurum absolutum simpliciter. At verò infallibilitas ex suppositione ipsiusmet futuri nõ oritur, nisi ex ipso met futuro conditionato simpliciter, in quantum tale est formaliter, & recipitur in futuro conditionato ut formaliter involvente seipsum quantum conditionatum; proinde purificatâ conditione non remanente futuro ut formaliter conditionatò, sed transeunte in absolutum, non potest illa infallibilitas manere absoluta. Sed ut habeatur infallibilitas absoluta, debet intelligi alia suppositio ex futuro absoluto simpliciter.

RESPONDETUR. Concedo, esse differentiam notabilem inter infallibilitatem ortam ex suppositione præscientiæ, ab infallibilitate orta ex suppositione futuritionis: quia illa est posterior, hæc prior, quia illa habetur formaliter ab aliquo divino, hæc, ut supponitur, ab aliquo creato, loquimur enim de futuris conditionatis creatis: illa habetur ab eo quòd existat physicè in mente divina, hæc habetur non nisi objective. Concedo, quòd infallibilitas orta ex suppositione præscientiæ, oriatur ab aliquo distincto à futuro conditionato. Concedo, quòd purificata conditione transeat, ut ita dicam,

scientia conditionata in absolutam. Sed nego, purificata conditione, non transire, ut ita dicam, effectum conditionatum in effectum absolutum. Concedo, quòd ut habeatur infallibilitas absoluta, debeat intelligi alia suppositio ex futuro absoluto simpliciter, sed quærere restat cur hæc futuritio absoluta non poterit convenire & haberi primo ab ipso futuro conditionatè, ob purificatam conditionem transeunte in absolutum, præcipuè cum assumamus non idèò aliquid futurum, quia noscitur futurum, sed idèò noscitur quia est futurum.

DICES V. cum eodem. Futurum conditionatum non habet unde possit desumere infallibilitatem. Non ex causa: quia hæc indeterminate; non ex seipso: quia hic quæratur de infallibilitate effectus per ordinem ad suam causam, non per ordinem ad suam intrinsecam entitatem. Non ex decreto Prædeterminante. Ergo debet haberi ab ipsamet scientia.

RESPONDETUR. Quamvis hic quæratur de infallibilitate effectus per ordinem ad suam causam, sufficit illam derivari titulo correlationis ex ipsamet suppositione effectus: Si enim effectus ex suppositione est infallibiliter futurus, etiam causa ex suppositione est illum infallibiliter causatura, habebiturq; infallibilitas ex vi prædictæ correlationis, licet non habeatur per prius à scientia conditionata. Videantur dicta in prima parte; An scilicet effectus conditionatus possit nosci, in causa prout operatura.

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Tenenda.

ASSERO I. Non esse necessariam scientiam conditionatam ad collationem auxilii ut sic.

RATIO. Tum quia antecedenter ad consensum conditionatum gratiosum, est necessaria collatio auxilii, & tamen tunc non datur antecedenter scientia conditionata: Non enim antecedit suum objectum. Ergo apparet non esse necessariam ad collationem auxilii ut sic, Scientiam conditionatam. Tum quia scientia simplicis intelligentiæ est causa aliorum. Ergo est causa & fabricationis auxilii, quo posito, hoc urgetur. Scientia quæ est causa fabricationis auxilii, est sufficiens, ut præluceat voluntati conferendi auxilii: Non est enim major ratio de uno quàm de alio. Præcipuè autem cum hic agatur de voluntate collativa non efficacis auxilii quâ talis, nec sufficientis quâ talis, sed auxilii pro aliquo signo abstrahentis à ratione efficacis vel sufficientis. Tum quia. Posito, quòd præluceat collationi auxilii scientia simplicis intelligentiæ, non ferretur adhuc voluntas, in incognitum; & si aliis eventis potest præluce-
re scientia simplicis intelligentiæ, non apparet, cur auxilium abstrahens à sufficienti & efficaci
debeat

debeat conferri, non nisi ex prælucente scientia conditionata.

ASSERO 2. *Non esse necessariam scientiam conditionatam felicitatis eventus ad hoc, ut conferatur auxilium, proportionaliterque ad collationem sufficientis auxilii, non erit necessaria scientia conditionata infelicitatis eventus.*

RATIO. Tum quia. Non est necessaria gratia efficax ad consensum: quia aliàs, qui haberet solam sufficientem, careret aliquo necessario requisito ad consensum. Ergo neque est necessaria ad collationem auxilii, scientia conditionata felicitatis eventus. Tum quia, si ad collationem auxilii ut sic esset necessaria scientia felicitatis eventus, non posset unquam Deus largiri auxilium merè sufficiens: semper enim prævideretur securitio effectus. Quomodo ergo cum auxilio sufficienti fieret negatio securitio effectus? Tum quia, si ad collationem auxilii esset necessaria scientia conditionata felicitatis eventus, & nosceret Deus in sufficienti auxilio felicem eventum, & non nosceret. Non nosceret quidem: quia hoc deposcit ipsum objectum, & definitio auxilii sufficientis: nosceret autem per te: quia in tuis principiis non potest conferre illud auxilium, nisi cum scientia felicitatis eventus.

Qui ipse medius terminus sic aliter proponitur. Si notitia felicitatis eventus esset necessaria ad collationem auxilii, esset necessaria ut posset dirigere ad collationem talis auxilii: ad quid enim aliud? Sed notitia felicitatis eventus non potest dirigere collationem auxilii sufficientis, quod ipsum probatur? Quia si ad collationem auxilii sufficientis esset necessaria directio per notitiam felicitatis eventus, tunc notitia contradictorii, esset notitia dirigens positionem alius contradictorii: Nam ad positionem auxilii non habentis felicem eventum, requireretur notitia auxilii habentis felicem eventum. Sequela autem admitti non potest, quia ad fabricationem hominis non requiritur formaliter, tanquam quid influens, notitia de non homine seu Leone: Pone enim per impossibile, nosci non hominem à Deo, & non nosci hominem, qui notitia non hominis dirigeret productionem hominis? Aliàs producendo hominem produceret non hominem: Hoc enim produceret, cujus notitiâ dirigitur, in productione autem hominis per te dirigitur notitiâ non hominis.

ASSERO 3. *Ad collationem auxilii pro statu absoluto est necessaria antecedenter scientia conditionata securitatis eventus.* Dixi, ad collationem auxilii, non autem ad rationem auxilii: quia impossibile omni scientiâ conditionatâ, posset adhuc esse auxilium efficax, & prævisâ possibilitate securitatis effectus ex illo auxilio, posito quod incidere in auxilium, quod esset operaturum si daretur, esset illud auxilium efficax & in se efficax, licet non daretur tanquam

efficax, nec habens rationem doni ex parte conferentis; quia collatum sine prævisâ antecedenter securitatis effectus. Dixi item, esse necessariam notitiam securitatis eventus, & non consensum conditionati: quia tam negatio consensûs, quàm consensus, est eventus securus, estque quid commune utrique.

RATIO asserti est. Tum quia, si ad collationem auxilii pro statu absoluto non esset necessaria scientia conditionata securitatis eventus, non esset necessarium, Deum non operari cæco modo, est autem necessarium universaliter, Deum non operari cæco modo, exigente id ratione ipsâ providentiâ. Sequela probatur. Quia si pro statu absoluto conferret Deus auxilium sine scientiâ conditionati eventus, operaretur tanquam nescius, cum tamen posset scire, tenereturque operari tanquam omniscius. Tum quia. Major est necessitas & obligatio in Deo ut prudenter agat, quàm in homine prudente, & tamen in illo est obligatio, ut dum non cogit necessitas se permittendi casui, operetur ex notitia quid futurum sit. Tum quia. Deo tribui debet omnis possibilis perfectio, eoque ipso quia possibilis est, jam Deo inest, possibilis autem est perfectio, quæ sit notitia eventus conditionati ante collationem auxilii pro statu absoluto. Et hæc fuit mens Aug. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. *Cujus miseretur, sic cum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respiciat.*

ASSERO 4. *In collatione auxilii efficacis pro statu absoluto movetur Deus ipsa bonitate efficacis, securitatisque effectus.*

RATIO. Tum quia, ut alibi dictum, prædefinit Deus actiones bonas. Ergo & potest moveri bonitate securitatis effectus ad ipsam collationem: Si enim bonitas securitatis effectus potest movere ad sui prædefinitionem, cur non poterit movere ad sui collationem? Tum quia tribuendus est Deo perfectissimus & sanctissimus modus agendi, si cætera sint paria, perfectius autem & sanctius Deus agat, si tribuat illa auxilia ex motivo illorum efficacis, ut ita proportionentur inter se, si cætera sint paria, Sanctitas & Omnipotentia. Nimirum, ut sicut concurrens omnipotentia ad omne producibile, ita inclinatur moveaturque se sanctitas communicans se suo modo creaturæ ad quodcumque sanctum, qualis est gratiofus eventus. Dixi cæteris paribus. Quia possibile erat, Deum facere etiam salva libertate, ut nulla forent peccata in mundo, quod non fecit, quia voluit ex malis bona elicere potius, quàm nullum malum permittere. Tum quia. Objectum illud est hic & nunc volubile. Nullumque est fundamentum, quod tua volitione versante circa illum eventum gratiofum, nolit uti in auxilii collatione efficacis.

ASSERO 5. *Deum in collatione auxilii sufficientis pro statu absoluto non moveri ejus inefficaciâ, quâ tali.*

RATIO.

OD
s. Ki
et Z:
I

RATIO. Quia hoc dedecet sanctitatem divinam, ideo dare auxilium: quia cum illo est aliquis peccaturus. Nec convenit serio desiderio consequendæ etiam per auxilium sufficiens operationis, quantum est à parte Dei.

DIVISI sunt auctores circa hæc asserta: quia quidam dicunt necessariam esse in Deo directionem scientiæ conditionatæ in collatione auxilii pro statu absoluto, titulo infinitæ scientiæ divinæ, & non titulo providentiæ. Hanc sententiam defendit Arriaga. d. 32. in 1. p. n. 43. Alii dicunt eam quidem esse Deo possibilem, defactoq; Deum illâ uti, sed non esse necessariam, ita docet Borrul. Priorem quidem partem a. num. 825. posteriorem a. num. 876. licet tandem fateatur sub disjunctione esse necessariam. Alii autem dicunt hanc directionem, non solum esse possibilem, usurpariq; de facto, sed etiam esse necessariam, ita post Suar. Vecken. de Deo d. 19. n. 24. solvendæ sunt contrariorum rationes.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

Contra 3. Assertum.

DICES 1. ex Arriaga. Omnes causæ, quibus operatio indiget, in statu absoluto, debent necessariò apprehendi, in statu conditionato sub conditione *Si*. Ergo si in statu absoluto requiritur aliqua causa, illa debet prævideri in conditionato. At quia quæ desumuntur ex ipsa futuritione conditionata, qualis est scientia media, & illa quæ eam supponunt, non possunt ullo modo apprehendi ut causa in statu conditionato. Ergo.

RESPONDETUR. Omnis aliorum responsionibus, dici potest, quòd omnes causæ, quibus operatio indiget tanquam habentibus vim virium, & productivi in statu absoluto, debeant necessariò apprehendi in statu conditionato; non tamen omnes causæ, quibus operatio indiget, tanquam applicantibus vim agendi in statu absoluto, debeant necessariò apprehendi in statu conditionato. Respicit hæc responsio illud principium, quòd applicativa non diversificent effectus: & sic sive ignem applicet Deus sive homo, eadem erit entitativè ignitio. Quia autem scientia conditionata habet se non nisi per modum applicativi auxilii, quod prævidetur v.g. efficax, ideo non erit necesse ut præcedat collationem conditionatam conditionati auxilii, licet scientia conditionata præcedat collationem absolutam auxilii pro statu absoluto. Addi & hoc potest. Omnes causæ, à quibus effectus pendet pro statu absoluto ab iisdem pendet pro statu conditionato. Ab iisdem inquam, vel formaliter, vel in ordine ad intentum finem æquivalenter se habentibus, quæ hoc ipso non essent æquivalenter se habentes, si idem præstare non possent. Jam autem scientiæ condi-

tionatæ, quæ requiritur ad collationem auxilii, pro statu absoluto æquivalens in ordine ad dirigendum scientia simplicis intelligentiæ: æquivalens inquam, quia necessitas scientiæ conditionatæ est, ne cæco modo agat Deus, sed prævideat id quod prævideri potest in antè, quod quia antecedenter ad statum conditionatum sufficienter præstat scientia simplicis intelligentiæ, fit ut æquivalet scientia conditionata in ordine ad hunc actum, de quo in simili actum in 1. parte. Porro ista æquivalentia non utunque est accipienda: Nam pars materiæ B. & pars materiæ A. æquivalent sibi, & tamen, eadem pars materiæ, pro statu conditionato, & pro statu absoluto, debet constituere compositum: quia non æquivalent sibi in ordine ad constituendum idem omnino individuum. Jam autem in ordine ad directionem, æquivalent sibi scientiæ: quia utrumq; faciet, ut hîc & nunc non dicatur Deus operari cæco modo, sed modo, qui hîc & nunc in illo operandi modo requiritur.

DICES 2. cum eodem. Si Deus ad dandum absolutè auxilium necessariò requirit scientiam conditionatam. Ergo quando dicit, si dederò absolutè auxilium, debet ibi intelligi hoc: Si dederò cum scientia media auxilium, respondebit Petrus. Hoc autem non posse per eam scientiam dici, etiam nos fatemur: Eset enim idem ac dicere. Si dederò sciens futurum effectum, erit effectus; quòd ad scientiam necessariam pertinet, & eset ridicula cognitio. Ergo cum Deus per eam scientiam, etiam cognoscat providentiam suam perfectam, ideoque dicat. Si cum mea infinita providentia voluero dare auxilium Petro, ille respondebit, in ea autem providentia non includetur scientia media, evidenter fit, eam non esse simpliciter necessariam etiam ex parte Dei, ut det auxilium & concurrat nobiscum.

RESPONDETUR. Negando collationem auxilii pro statu absoluto rectè explicari, si dederò auxilium pro statu absoluto sciens futurum effectum, erit effectus. Ratio, quia status absolutus, hoc ipso quia absolutus est non, involvit particulam *Si*. Rursus status absolutus: ita debet explicari, ut primò in eo ponantur, quæ primo præsupponuntur. Jam autem non ly *dederò* scientiæ, sed scientia prius præsupponitur datione. Deniq; debet exprimi nexus scientiæ non cum effectu, quòd fit vi scientiæ futuræ; sed debet exprimi nexus cum datione, quæ datio fit ex prævisione effectus, requiriturq; scientia tanquam dationis directiva. Si ergo potius formari debet propositio. Scio hoc auxilium habiturum effectum, doq; illud, quia volo fieri effectum: taliter autem explicata illa collatione auxilii, non sequentur ea, quæ pro absurdis infert Arriaga: non dicetur enim fore effectum: quia nescitur fore effectus, sed dicetur dari auxilium